

p. 177. seq. Sed hoc non intellexerat stupidus Frankius; audi itaque, quid Thrafo ad hanc rationem regerat: scilicet, *hoc nesciebam*, inquit §. 27, *qui primus genuina harum anomaliarum ratio quæ sit, ordine proposui, atque etiam hanc, ad quam digitum intendit, explicavi.* Sed mi Franki, cur proverbium corrumpis: mutuum muli scabunt; jam tu te ipsum scabis, & te primum hujus accentuum positus autorem falso jactas, hæc tua superbia est tuæ ignorantiae hædera. Sed ut controversiam rectius intelligamus, proponam textum prout in Codice hebræo distinguitur.

Et appellabitur nomen ejus:

Admirabilis, consiliarius, Deus fortis:

Pater æternitatis, princeps pacis ::

Quia in vocibus *Deus fortis* est major distinctio, quam in vocibus *nomen ejus*; putat Frank. nomina admirabilis, consilarii & Dei fortis esse titulos appellantis DEi, & neutiquam appellati filii. Sed observarunt docti in hac arte, quod, si occurrant formulæ proœmiales, qualis h. l. est: & *appellabitur nomen ejus*, quod illæ arctiori nexu effato sequenti annectantur. Hoc illustratum est exemplo Jes. XLIX, 4.

ego dixi:

in vanum laboravi:

ad inanitatem & vanitatem vires meas consumsi ::

Quivis perspicit exemplum hoc exacte respondere oraculo Jesaiano quoad accentus. Adest & h. l. formula proœmialis, quæ sequenti effato arctius annectitur, uti in priori loco. Major etiam distinctio incidit in effatum; *in vanum laboravi*: quid vero existimas Frankium regerere? resp. §. 27. a) *Hic non est formula proœmialis, sed habemus hic actum, subjectum, effectum* β) *datum exemplum non est ad rem.* In *ego dixi* habemus subjectum & prædicatum γ) *est exemplum hoc verbis Esaia dissimile.* Sed verterat verba cl. Vir. & *apellabitur nomen ejus*, secundum idiotismum, *vel appellabit quisque nomen ejus.* Nonne hic habemus actum *appellabit*, subjectum *quisque* & effatum *nomen ejus*? Nonne eadem invenis in altero Jesaia loco. Dic stupide, an datum exemplum non sit ad rem, & an verbis Esaia sit dissimile. Si quid solidi reponere voluisset Fr. debuisset ostendere, hanc versionem esse